



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Muliebris salacitas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

ORTUS ET OBITUS RERUM. CAP. XL.

Quid vero sibi vellet Æluros ille in summo Siftri apice, sub quo forma illa orbicularis, cui quatuor veluti tintinnabula mobilia æquis inter se intervallis applicata erant, ex Plutarcho declaratum est: significabat enim hæc species omnia, quæ generationi corruptionique obnoxia sunt, lunari globo subjici, infra quam omnia moventur & alternant, quippe quæ sint ex quatuor illis principiis, quæ Elementa placuit appellari, confata, igne quippe, terra, aqua & aëre. Cur verò animal hoc Lunæ simulacrum excogitasset, ea affertur causa: quod tum varium est colore & astu, tum nocturnum magis quam interdiu exercitio deditum. Est præterea fecundæ admodum salacitatis, temperaturæque cum Luna perquam simile. Nam unum primo parere fertur, inde duos, inde tres, inde quatuor, atque ita vicissim ad septimum usque pervenire, ibique sistere, ita ut toto vitæ cursu octo & viginti natos edat, quot itidem luces in Luna dinumerantur in Zodiaci transcurso peragendo. Ad hæc ejus facies à septimo quoque die, in aliam speciem abit. Verum quæ de animali traduntur, fabulosa forsitan aliquando deprehendi possunt: illud minimè confictum quod de pupillis ejus fertur, quæ non tantum ad Solis cursum quotidie commutentur, verum etiam ab incremento decrementoque lunaris globi quotidie variant, quod tum in aliis, tum in iis, quos Syrianos vocamus, liquido apparet. Nam qui Ælurum describunt, & variis eum maculis insignem memorant, eam sibi speciem videntur proposuisse.

*Æluri &
Lunæ sym-
metria.*

MULIEBRIS SALACITAS. CAP. XLI.

Quod vero salacissimam foeminam per Æluri læminæ simulacrum nonnulli significari dixerint, non ea tantum causa fuit, quod plurimum Lunæ fecunditatem, quæ humoris ab ea manantis beneficio tota terra marique luxuriat, admirarentur, quam etiam quod ipsius animalis ingenium ita affectum animadverterent: foeminæ enim in eo genere natura admodum libidinosa sunt & salaces, tametsi initium vix pati possunt: in quo, propter ignitam genituræ vim plurimum, ut dictum est, cruciantur, mares tamen ad coitum ipsæ frequenter alliciunt, invitant, cogunt, puniunt etiam, nisi pareant. Unde vulgo nunc homines, qui operam nequitia dant incontinentibus, & pudore prostituta lasciviant, *Cattorum commercia frequentare* dicuntur.

DISSIMULATOR TURPITUDINIS. CAP. XLII.

Vitiorum dissimulatorem per micurientem Simiam suo loco significari diximus, quoniam ita in Hori codicibus impressis inveneramus: postea vero quam & manuscriptos codices & antiquos nacti sumus, non *micur* eo loco, sed *allegu* invenimus, quod quidem vero propius visum est, cum eo omnes ingenio Catti sint, ut quanto possunt studio ventris excrementa, vel attractio, si copia sit, pulvere sepeliant, vel alia re quapiam omnino occultant. Ægyptii sane cum in propatulo ac viis ipsis cibum caperent, Cattorum tamen exemplo ventrem domi exonerare, atque id quidem clanculum, assuerant. Munditiam hanc Hebræi quoque jubentur observare, ut Deut. 23. *Locum habitis extra castra ad quem egredieris ad requisita natura, gerens paxillum in Baltheo, cumq; sederis, fodis per circuitum, & gesta humo cooperies quo relevatus es.* Quis mos & apud Persas tantæ fuit religionis, ut qui alio quopiam inspiciente non modo quicquam non evomerent, sed ne lotium quidem emitterent: quique palam id facere aggressus esset, facinorosa notabatur ignominia. Quid vero quod ad hanc usque diem ajunt Alexandriæ urbe Ægypti, totius orbis emporio frequentissimo celebrata, indigenas expuentem quempiam non aliter abhorrere, quam apud nos ludibrio & reprehensioni sit obnoxius, qui palam ventris crepitum emisit?

AUGUSTEL. CAP. XLIII.

Signa militaria Cattorum insignia.

Et quoniam nostra omnis dictio ad sculpturas, picturasque & gestamina contendit, minimè dissimulanda sunt legionum atque ordinum insignia, quæ se pro re obtulerint: nam plerique hominum, cum in hujusmodi signa picturasve incidunt, quid ea sibi velint, anxie admodum percontari solent.